

præceptum morale veteris Testamenti : ergo sentit præceptum illud etiam nunc durare ex vi Scripturæ veteris, quam sine dubio indicari voluit. Unde cum subdit : *Si personam accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores*, de lege Moysis loquitur, quæ in Scriptura solet absoluto nomine legis significari, juxta illud : *Lex per Moysem data est*; unde de eadem lege subdit Jacobus : *Quicumque totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, quod statim declarat in præceptis Decalogi : *Nam qui dicit, Non occides, dicit, Non mæchaberis*. Ergo intelligit hanc legem et hæc præcepta, ut a Deo data fuerunt in lege veteri, etiam obligare Christianos; similisque locus est apud Paulum ad Romanos cap. 14 : *Qui diligit proximum, legem implevit*, utique Decalogi; subdit enim : *Nam non adulterabis, etc., in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*; et ad Ephesios 6, suadet observationem quarti præcepti Decalogi, quia est primum in promissione, *Ut bene* (inquit) *sit tibi, et sis longævus super terram*; ergo sentit durare et præceptum ipsum, et (quod magis est) promissionem factam observantibus illud. Unde Adam ibi sic exponit : *Hoc enim justum est, et naturæ lex id exigit, non solum autem illa, sed et divina quæ habetur Exodi 20*. Eadem autem ratio est de reliquis præceptis.

19. *Distinctio juristarum notanda.*—*Lex declarativa tantum, constitutiva tantum.*—*Declarativa et præceptiva simul.*—Ut in hac controversia quod sentio breviter dicam, oportebit in memoriam revocare distinctionem quamdam legis a juristis usitatam; nam quædam est lex declarativa tantum, alia tantum constitutiva, quædam vero declarativa et ordinativa, seu præceptiva simul. Ex quibus membris secundum solum habet locum in legibus, quæ versantur circa materias de se indifferentes, seu non necessarias, quæ mere positivæ dici possunt, et ideo nihil ad præsens refert, quia certum est legem Decalogi, ut datam per Moysem, non fuisse hoc modo pure constitutivam, cum fuerit de materia naturali, ac necessaria. De aliis vero duobus membris controversi potest, an illa lex, ut data a Deo in veteri Testamento fuerit pure declarativa, vel simul etiam præceptiva et constitutiva. Quod dubium supra a nobis tractatum est, et ex illius resolutione pendet, ut existimo, quæstio præsens.

20. Nam sustinendo opinionem asserentem legem veterem, ut proponentem seu promul-

gantem legem Decalogi, fuisse tantum legem declarativam divinæ ac naturalis obligationis, et non addidisse novam obligationem positivam divinam, consequenter quidem asseritur legem Decalogi, prout contentam in lege Moysi, non fuisse abrogatam, sed nunc etiam in vi sua permanere. Quia lex pure declarativa magis habet rationem doctrinæ quam præcepti; doctrina autem divina nunquam potest sua auctoritate aut veritate privari, et ideo nunquam potest revocari aut lumen suum amittere; ergo etiam lex divina pure declarativa nunquam potest abrogari, aut vim suam amittere, quia est lucerna et lux quæ semper eodem modo illuminat. Et in hoc saltem sensu suadet valde illa opinio testimoniis ultimo loco adductis in ejus probationem, quatenus in eis videntur colligi præcepta Decalogi ex veteri Testamento, et ex loco Exodi; illa enim collectio seu probatio in hoc fundatur quod illa legislatio, quantum ad Decalogum spectat, non fuit nisi promulgatio legis naturalis, quam promulgationem ibi Deus ipse fecit, quæ in ratione doctrinæ semper retinet eandem auctoritatem.

21. *Auctores secundæ sententiæ in quo sensu loquuntur.*—At vero auctores posterioris sententiæ non videntur in hoc tantum sensu loqui; nam expresse dicunt legem moralem, ut est data per Moysem, vere obligare Christianos. Imo Vasquez sentit obligationem legis naturalis non esse divinam proprie, id est, ex divino præcepto, sed solum esse a Deo quatenus est auctor rationalis naturæ, quæ est ipsa lex naturalis, et ab illa sola proxime nascitur illa obligatio naturalis, et nihilominus ait legem per Moysem datam addidisse divinam obligationem, quæ nunc durat in Christianis. Nos vero in superioribus diximus legem naturalem esse veram legem divinam, et ex proprio imperio et voluntate Dei, et nihilominus legem moralem, ut ab eodem Deo specialiter datam et promulgatam illi populo, addidisse positivam obligationem legi naturali. Et ita in hoc videmur omnes convenire, quod lex Decalogi, ut data per Moysem, non fuit tantum declarativa, sed etiam constitutiva, et proprie præceptiva. Imo hic addiderim, quod, licet utrumque habuerit, certius constat ex Scriptura fuisse præceptivam, et esse per se obligativam, quam esse declarativam. Quia omnia illa præcepta Decalogi feruntur per eadem verba præcipiendi vel prohibendi, et sub eodem tenore; et in eis quædam miscentur quæ non sunt de lege naturæ, et tamen

eodem modo præcipiuntur vel prohibentur, ut sanctificatio Sabbati et prohibitio sculptilium, secundum probabilem expositionem. Nec ex verbis Scripturæ discernere possumus quid prohibeatur quia malum, vel quid sit malum quia prohibitum, sed ex ratione naturali et ex communi sensu doctorum Ecclesiæ hæc discernimus ac judicamus. Estque optimum exemplum Ezech., decimo octavo, quo a simili res declaratur. Ibi enim inter necessaria ad justitiam æque ponuntur, *Uxorem proximi non violare, et ad menstruatam non accedere*; cum tamen primum prohibeatur quia per se malum ac mortale peccatum, secundum autem (juxta probabilissimam opinionem) solum erat malum quia prohibitum, saltem in gradu peccati mortalis. Ita ergo contingere potuit in lege lata Exodi 20, quantum est ex forma prohibendi vel præcipiendi; certius ergo constat ex Scriptura legem illam fuisse præceptivam, constitutivam obligationis novæ, quam declarativam antiquæ, licet adjuncta ratione utrumque colligatur et verum sit.

22. *Christianos non obligari ex vi legis Moysi ad præcepta Decalogi et moralia ejusdem legis.*—Hoc ergo principio posito, probabilis censeo Christianos non obligari ex vi legis Moysi ad præcepta Decalogi et moralia ejusdem legis, ac subinde totam illam legem cessasse quoad obligationem, licet quoad materiam non fuerit ita sublata in moralibus præceptis, sicut in cæteris. Quam opinionem ante auctores citatos docuit Victor., relect. de Matrimon., 2 p., num. 3, in fin.; et postea ex nostris Tolet. Rom., 3, annot. 15; et Salmer. ad Roman. 7, disputat. 6; Barradas, tom. 1, libr. 2, capit. 21, ubi cum sæpe dicat Decalogum esse perpetuum, et in illum abrogationem non cadere, esseque magnam legis partem quæ adhuc vivit, et similia, nihilominus cautionem et declarationem adhibet, dicens *partem quidem illam legis vivere, non tamen quia legis Moysis pars; sed quia naturæ lex est et novæ legis pars, vivit, vivetque in sempiternum*. Idem tenet Valentia, tomo 2, disput. 7, quæst. 7, punct. 7, ubi opinionem Soti commendat. Moveor autem præcipue, quia tota illa lex a principio Decalogi data est soli populo Hebræorum, ut supra ostensum est, et patet Exod. 20, ubi Deus præmittit illa verba : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui educa te de terra Ægypti, de domo servitutis*; et post illa statim loquitur ad populum illum dicens : *Non habebitis deos alienos, etc.*

23. *Objectio.*—*Responsio.*—Dicunt aliqui etiam illa verba ad populum Christianum pertinere, quia eductus est ex potestate diaboli, et quia est spirituale semen Abrahæ, teste Paulo ad Galat., 4, Rom. 3 et 4, 1 Cor., 10, ac subinde legis etiam illius promulgationem ad Christianos pertinere; hæc vero ampliatio illorum verborum in illo loco litteralis non est, sed spiritualis, et ideo admittenda non est in ordine ad extensionem obligationis illius legis. Alioqui etiam illa verba : *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*, ad litteram pertinebunt ad populum Christianum, et idem erit de præcepto : *Non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem*, etiamsi non fuerit mere naturale, sed positivum, ut aliqui volunt. Imo de tota lege sequente idem dici poterit, quia eidem populo educto ex Ægypto data dicitur; id autem falsum esse constat ex verbis Scripturæ, et omnium interpretatione, et communi doctrina theologorum cum divo Thoma, dicta quæstione nonagesima octava, articulo quarto, et ex dictis in superioribus, ubi ostendimus legem illam promulgatam esse populo præsentis et successoribus ejus secundum carnem, ut aliis locis ibi citatis Scriptura declarat, quæ sine dubio proprie et non figurate loquitur in lege ferenda et promulganda, nisi ubi ex verbis aliud clare constiterit, vel ex communi traditione : data est ergo illa lex pro Israel carnali; non ergo obligat Christianum populum. Qua ratione omnes utuntur quoad præcepta cæremonialia et judicialia; ergo idem est de moralibus quantum ad vim obligandi in virtute illius legis; nam eodem modo et tenore tradita sunt.

24. *Confirmatur secundo.*—Et confirmatur secundo hæc sententia, quia præcepta moralia illius legis, ut erant illius, non obligabant tunc Gentiles, sive fideles, sive infideles; ergo neque nunc obligant Gentiles infideles : ergo neque obligant Christianos. Prima consequentia nota est ex paritate rationis; secunda item est clara ex dictis capite præcedenti, quia Christiani, vel sunt ex gentibus, vel ex Judæis; si ex gentibus, non magis obligantur lege veteri, et quacumque parte ejus, quia Christiani sunt, quam gentes infideles : si vero sunt ex Judæis, æquiparantur in hoc cæteris Christianis, quia lex vetus non magis obligat quosdam Christianos quam alios, propter solam carnis originem. Antecedens autem est expresse D. Thomæ, ut citatum est ex q. 98, art. 5, quam omnes sequuntur. Solus Vasquez, in dicto cap. 3, numero decimo quarto,

oppositum consequenter docet, dicens, et ex priori opinione sua colligi legem illam moralem, quatenus datam a Deo per Moysen, non tantum judaicum populum obligasse, sed etiam gentilem. Et addit suasionem consequentis, quia Deus legem illam tulit tanquam auctor naturæ creatæ, cui necessario talis lex convenit; ergo non debuit illam ad peculiarem populum restringere. Nos autem libenter admittimus illationem illam; nam revera ille auctor consequenter infert et loquitur; tamen ex falsitate consequentis inferimus falsitatem antecedentis; nam ex vero non potest sequi falsum.

25. *Impugnatur sententia dicta.*—*Responsio.*—*Impugnatur.*—Quod autem consequens illud falsum sit, imprimis ex ipsius novitate, et singularitate conjectamus; deinde id convincimus ratione proxime facta, quia lex illa etiam quoad eam partem pro solo populo Hebræo lata est, et illi soli est promulgata: ergo ut talis erat, non potuit Gentilem populum obligare. Lex enim non promulgata non obligat: ergo non potuit illa lex obligare gentes, quibus promulgata non fuit. Responderi potest ex Vasquez supra, cap. 4, satis esse quod voluntas Dei fuerit ut lex Decalogi ab omnibus gentibus servaretur, licet illam non explicaverit populo gentilico pro illo tempore per illam legem, sed tantum per jus naturale. Sed hoc plane repugnare videtur; quomodo enim potest esse obligatio ex vi alicujus legis exterioris, nisi per illam manifestetur voluntas legislatoris. Deinde alias sequeretur etiam ante legem illam per Moysen datam obligasse non solum gentes, sed etiam Israelitas, quia jam Deus habebat illam voluntatem, licet illam non manifestasset. Quod si dicatur habuisse illam voluntatem, non tamen pro illo tempore; ergo eodem modo dici potest et debet habuisse illam pro illo populo, et non pro aliis, et pro illo statu ac lege, et non pro aliis temporibus, sive præcedentibus, sive sequentibus, quantum est ex vi illius legis.

26. *Confirmatur.*—Præterea hoc mihi valde confirmat Paulus ad Rom. 2, dicens: *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ubi evidenter de lege naturæ loquitur, quam dicit habuisse gentes scriptam in cordibus, significans clare legem scriptam in lapidibus, ut talis erat, eos non obligasse: nam ea ratione dicit non ha-

buisse legem, utique scriptam, seu positivam: et in eodem sensu paulo superius dixerat: *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Gentiles ergo peccantes contra legem naturæ non peccabant contra legem Moysi, nec per illam judicandi sunt: ergo nec per illam, ut talis erat, obligabantur. Nec conjectura in contrarium facta urget; tum quia lex illa, ut per Moysen data, non erat necessaria creaturæ rationali; tum etiam quia non data est a Deo, ut est auctor naturæ tantum, sed etiam ut est auctor gratiæ, utrumque enim supra ostensum est: ergo potuit specialiter illam dare populo suo quoad omnem partem ejus, prætulit enim illum populum Deus credendo illi eloquia sua, ut, ad Rom., c. 3, idem Paulus dixit, estque verum tam de eloquiis quibus speciali modo legem naturalem illis proposuit, quam de cæteris.

27. *Tertia probatio.*—Tertio, persuadetur sententia nostra, quia lex Moysi posita est usque ad certum terminum, utique, *Donec veniret semen;* sed in hoc nulla distinctio facta est inter partes et præcepta ejus: ergo quantum ad vim obligandi eundem terminum habuit secundum se totam, et secundum omnes partes suas, non enim licet nobis distinguere, aut exceptionem addere, ubi Scriptura non distinguit, sed absolute loquitur, et nulla ratio vel auctoritas cogit ad exceptionem faciendam: et augetur hæc ratio, quia, adveniente illo termino, danda erat nova lex divina, per quam illam materiam moralium præceptorum novo modo et novo spiritu præciperetur, ut infra videbimus: ergo non oportuit priorem legem, etiam quoad hanc materiæ partem poni ultra terminum pro tota illa lege designatum. Nec etiam oportuit in lege evangelica esse duas obligationes positivas divinas circa eandem materiam: ergo adveniente prædicto termino cessavit, et posita nova obligatione divina prior lex cessavit; sicut si unus Pontifex præceptum aliquod ponat pro vita sua, et successor ejus eandem materiam præcipiat, licet eadem materia sub pontificio præcepto maneat, nihilominus verissime dicitur cessasse obligatio prioris præcepti, et nova introducta: ita ergo in præsentem accidit proportionem servata.

28. *Probatur amplius dicta sententia.*—*Exemplum.*—*Accessus ad menstruatam in lege veteri fuisse mortale peccatum; in lege nova veniale.*—Ampliusque declarari hoc potest ex quibusdam actibus moralibus prohibitis in le-

ge veteri, qui in lege nova specialiter prohibiti a Christo non sunt, sed suæ naturæ relicti: nam eo ipso nunc vel non sunt prohibiti, vel non in eo gradu in quo in lege veteri prohibebantur. Optimum exemplum est in præcepto prohibente viro accessum ad uxorem menstruatam, sub pœna mortis utriusque conjugis, Deut. 20. Quæ lex, quatenus hanc pœnam adhibebat, judicialis erat, et ut sic omnino cessavit, ut apud omnes constat. Quatenus vero prohibebat absolute talem accessum, controversa est an judicialis seu positiva fuerit, an vero moralis et de materia per se mala. In qua (omissis aliorum opinionibus) multi censent fuisse moralem, quia ille accessus etiam nunc est peccaminosus ex jure naturæ, et sine alia positiva prohibitionem; et nihilominus censent in lege veteri fuisse peccatum mortale, propter prohibitionem factam sub tam gravi pœna, quæ indicat gravem obligationem talis legis, etiam in conscientia, ut in superioribus est dictum: nunc autem in lege nova solum esse peccatum veniale, quia ex jure naturæ non habet majorem obligationem, et lex nova illam specialem non addidit, ut late prosequitur Castro, lib. 4 de Pœnal., c. ult., et plures alii quos refert et sequitur Sanc., lib. 9 de Matrim., disp. 21, n. 5 et 6.

29. *Ex hoc exemplo infertur.*—Hoc ergo exemplo intelligitur obligationem specialem, quam addebat lex Moysi in illa materia morali, etiam de se mala, cessasse in lege gratiæ, ita ut licet eadem actio prohibita sit in lege Evangelica, quia turpis et mala, alio tamen genere obligationis, et non tam gravi obligatione, sicut in lege veteri. Et quamvis in illo particulari actu id contingat quia illa prohibitio involvebat præceptum judiciale, nihilominus in aliis etiam præceptis moralibus recte intelligitur cessare potuisse specialem obligationem legis positivæ divinæ, et in aliam obligationem legis novæ commutatam fuisse. Et hoc sensu verum est, nullum Christianum se agnoscere obligatum ad vitandam usuram, vel aliquid simile, quia illud fuit prohibitum in lege Moysi, nisi quatenus inde colligi potest illud fuisse prohibitum quia malum et jure naturali vetitum, quod ex solis verbis præcipientibus aut prohibentibus non satis colligitur, sed ex materia, ex communi interpretatione et sensu Ecclesiæ, et ex aliis circumstantiis et diversorum locorum collatione colligendum est. Sic etiam recte intelligitur locus Jacobi 2, supra citatus pro con-

traria sententia, ubi, postquam dixit totam legem regalem, seu moralem, aut Decalogi, esse servandam, subjungit: *Sic loquimini, et sic facile sicut per legem libertatis incipientes judicari.* Per legem enim libertatis legem gratiæ seu Evangelicam sine dubio intelligit, et per eam dicit esse judicandos Christianos qui legem naturalem observant vel violant: significat ergo, licet præcepta Decalogi in hac lege libertatis obligent, non tamen accipere obligationem specialem ac divinam ex lege veteri, sed ex propria lege libertatis: nam per illam legem judicium fertur de actu, ex qua nascitur obligatio, et ideo fortasse non dixit prius, *Si tamen legem perficitis Moysi,* aut *Decalogi,* sed *legem regalem,* id est, charitatis, in qua radiceantur ipsamet præcepta Decalogi, et ideo etiam in lege gratiæ præcipiuntur.

30. *Lex vetus cessavit non solum quoad obligationem, sed etiam quoad comminationes, et promissiones.*—Atque ex his tandem concludo præcepta moralia legis veteris non solum cessasse quoad obligationem, sed etiam quoad speciales comminationes in ea factas pro transgressoribus, vel temporales promissiones observantibus illa præcepta in eadem lege factas. Ita sentiunt communiter doctores utriusque sententiæ, uno, vel alio excepto. Et generatim probatur, quia in lege gratiæ cessavit obligatio propria legis veteris, etiam quoad præcepta moralia, ut declaratum est: ergo etiam cessavit pœna, vel promissio addita illi legi, ut talis erat. Patet consequentia, quia cessante principali cessat accessorium; comminationes autem et promissiones temporales erant propriæ illius legis, ut talis erat et distincta a lege nova, ut in superioribus tactum est, et latius dicitur in lib. 10; ergo cessante obligatione propria illius legis, cessant reliqua. Secundo, id declaratur, quia illæ promissiones erant per modum cujusdam pacti, et ideo lex illa *foedus* appellatur Exod. 19, Deuteron. 29; ergo cessante obligatione ex una parte, cessat ex altera, ut sit æqualitas in pacto; sed ex parte hominum cessavit obligatio illius legis: ergo etiam ex parte Dei cessavit obligatio ad implendas promissiones; et similiter ex parte hominum cessavit reatus proprius contra illam legem, et consequenter etiam cessat pœna et comminatio propria talis legis. Tertio, applicari in præsentem potest ratio facta, quod lex illa solum pro tali gente et pro tali tempore posita est; ergo extra illud tempus et extra illam communitatem omnino cessavit, et quoad obligationem, et quoad reliqua omnia quæ

illi adjungebantur in ordine ad implendam obligationem. Præterea in particulari de pœnis res est manifesta, ut bene attigit Castro, d. c. ult., l. 4 de Leg. pœn., tum quia leges pœnales, ut tales erant, non erant leges naturales, sed positivæ; omnes autem leges positivæ illius legis cessarunt, ut ostensum est; tum etiam quia leges pœnales, ut sic, non erant morales, sed judiciales; ergo cessarunt; ergo omnes illarum pœnarum comminationes non transcendunt statum illius legis; tum denique quia hac ratione (inter alias) dicitur lex gratiæ lex libertatis, quia non ita movet terrore pœnarum temporalium, sicut lex vetus, et sic dicit Paul. 2 Corinth. 5: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*; ergo lex gratiæ etiam liberavit nos a reatu et comminatione legis, etiam ut moralis; ergo cessarunt illæ comminationes. Quomodo exponit sæpe Augustin. illud: *Iusto non est lex posita*, 1 Timoth. 1, ut late supra lib. 1 tractavimus. De promissionibus autem temporalibus illius legis doctrina est communis, cessasse in lege nova, ut constat ex Augustino, lib. 10 contra Faust., cap. 2, ubi ait *promissa carnalia non manere, et ab illis vocari vetus Testamentum*, et hac ratione in Epistola 120 dicit promissiones illas pertinuisse ad hominem veterem, non ad novum. Item significat lib. 16 de Civit., cap. 11, et aliis locis.

31. *Objectio contra dicta. — Responsio. —* Solum objici potest, quia promissio illa addita quarto præcepto Decalogi: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram*, Exod. 20, illa (inquam) temporalis fuit, et tamen etiam in novo Testamento durat, ut sentit D. Thom., 2, 2, quæst. 102, a. 4, ad 4, ex Paulo, qui videtur id expresse asserere 1 Timot. 4, dicens: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ*; et ad Ephes. 6: *Honora (inquit) patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram*. Respondeo promissionem illam, ut habetur in Exodo, fuisse plane temporalem, nam erat de terra promissionis; ita enim ibi additur: *Ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*. Ubi adstringitur et limitatur promissio ad terram promissionis, neque extra illam poterat ad litteram impleri. Quare addo promissionem illam ut mere temporalem nunc cessasse, durare autem quatenus in illa promissione figurabatur æternitas in terra viventium, ut de aliis promissionibus temporalibus dicit Augustinus in dicta Epist. 120, et sæpe

alibi. Atque hoc significavit Paulus in utroque loco: nam ad Ephesios aliquid addidit promissioni, dicens prius: *Ut bene sit tibi*; et aliquid etiam abstulit, dicens absolute, *Et si longævus super terram*, non addendo determinationem, *quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*; ubi Cajetanus advertit duplex bonum promitti a Paulo. Primum est, *ipsum bonum*, quod ego intelligo præcipue de bono simpliciter, quod est bonum virtutis et sanetitatis. Secundum est, *diuturnitas in bono habito*, quæ in hac vita confertur per perseverantiam in vita gratiæ, et in futura per gloriam ipsam. Ad Timothæum vero utramque vitam conjunxit, præsentem et futuram, quod aliqui cum partitione accommoda interpretantur, scilicet, habens promissionem vitæ, quæ nunc est pro Testamento veteri, et futuræ pro novo: nam hoc significavit Salmeron, disput. 15, super ad Ephes. 6, dicens priorem partem illius promissionis esse ex Moyse, posteriorem vero ex Christo. Vel certe addidit futuram vitam post præsentem, ut significaret nunc non promitti longævitatē vitæ præsentis, nisi quatenus necessaria vel utilis esse potest ad futuram, vel ad majorem perfectionem ejus, sub qua ratione promissio illa spiritualis est, et ita tandem illam explicuit divus Thomas, citato loco.

CAPUT XII.

AN LEX VETUS QUOAD OBLIGATIONEM MORTUA FUERIT SEU CESSAVERIT ANTE CHRISTI DOMINI MORTEM.

1. *De tempore quo lex illa mortua. — Non fuit mortua ante Christi adventum. — Triplex tempus in dubium vocatur. —* Hactenus solum ostendimus nunc esse mortuam legem veterem, nondum tamen declaratum est quando primum abrogata fuit desiitque: nam, licet ex probationibus adductis, satis etiam constet multis retro temporibus et a principio nascentis Ecclesiæ Christi legem veterem mortuam fuisse, nondum tamen explicatum est in quo puncto, ac momento, vel tempore expiravit. Supponimus vero ante Christi adventum in carne non fuisse mortuam, quia data fuit *donec veniret semen*: de tribus ergo temporibus restat dubitatio, scilicet de tempore vitæ Christi Domini ante mortem ejus, de instanti mortis ejus, et de aliquo tempore post mortem ejus; ideoque de singulis dicendum est. Habet autem locum hæc questio solum respectu Judæo-

rum, quibus lex illa data erat: nam respectu Gentilium, quibus nunquam fuit imposita, non oportet designare initium temporis in quo illos non obligavit, quia nunquam eos obligavit, nec ante incarnationem Christi, neque post illam ante mortem ejus, neque etiam in morte, vel post mortem ipsius, ut supra probatum est; et ideo diximus respectu Gentilium non fuisse illam legem mortuam, sed potius nunquam fuisse vivam, ut sic dicam, quia, ex quo lata fuit, illos non obligavit. Tota ergo quæstio circa obligationem Judæorum versatur.

2. *Sententia affirmans circumcisionem cessasse ante mortem Christi. — Fundamentum. —* His ergo positis, circa primum tempus est peculiaris opinio aliquorum scholasticorum cessasse circumcisionis præceptum ante mortem Christi, nimirum, quamprimum Baptismus institutus est, et efficaciam cœpit habere conferendi gratiam. Ita tenet Scotus in 4, dist. 3, quæst. 4, § *Quantum ergo*. Sequitur Gabr., dist. 1, quæst. 4, art. 3. Fundamentum est, quia ex quo Baptismus cœpit esse utilis ad justitiam, cœpit esse sub consilio; ergo ex tunc cœpit circumcisio non esse sub præcepto; Baptismus autem utilitatem habuit ante mortem Christi paulo post initium Baptismi Joannis, ut nunc supponimus; ergo. Prima consequentia patet, tum quia consilium rei perfectioris et utilioris tollit præceptum inferioris rei, et minus perfectæ; tum etiam quia cum circumcisio jam non esset necessaria ad remissionem peccati originalis, non erat cur sub necessitate præcepti post Baptismi utilitatem relinqueretur. Ex qua opinione sequitur totam illam legem cessasse quoad obligationem, respectu omnium puerorum qui post Baptismi institutionem ex Hebræis nascebantur. Quia lex illa non obligabat nisi circumcisos, ideoque circumcisio erat illius legis professio; ergo qui non tenebantur ad circumcisionem, nec ad totam legem obligabantur, simpliciter loquendo. Hæc tamen cessatio totius legis ex vi hujus illationis non habet locum in parentibus, seu hominibus illius populi qui jam erant adulti et circumcisi tempore institutionis Baptismi; imo nec in parvulis potuit ad praxim reduci. Ratio prioris partis est, quia homines jam circumcisi poterant quidem liberari a præcepto (ut ita dicam) activo circumcisionis, id est, ab obligatione circumcidendi suos filios; non poterant autem eximi ab obligatione passiva, id est, recipiendi circumcisionem, quia jam erant circumcisi, et legem totam professi

fuerant, et ideo non liberabantur a toto onere legis ex vi cessationis præcepti circumcisionis, prout ad illos pertinebat. Alterius vero partis ratio est, quia infantes nati in illo populo post institutionem Baptismi non poterant pervenire ad usum rationis ante mortem Christi, et ideo non poterant proprie eximi ab onere legis per carentiam circumcisionis, quia nondum erant capaces obligationis ejus.

3. *Probatum prædicta sententia. —* Aliunde vero probari potest universaliter totam illam legem, quoad obligationem, cessasse ante Christi mortem, primo ex illo Luc. 18: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*: ergo saltem in baptisate Joannis lex mortua est; secundo, quia quoad aliqua saltem præcepta videtur antea extincta, quia multa mysteria Christi successu vitæ ejus impleta fuerunt ante mortem, quæ tamen per plures cæremonias legis figurabantur ut futura: ergo præcepta de talibus cæremoniis ante mortem Christi cessarunt; alias vigerent præcepta de signis falsis exhibendis, quod repugnat.

4. *Lex vetus usque ad instans mortis Christi obligabat. — Probatum primo. —* Nihilominus dicendum est ante Christi mortem legem veterem non fuisse mortuam quoad obligationem, ac subinde usque ad instans mortis Christi ad minimum obligasse. Est communis sententia theologorum, D. Thom. 1, 2, q. 103, art. 3, ad 2; Bonavent. in 4, dist. 3, 2 part. ejus art. 2, quæst. 2; Major., quæst. 2; Rich., dist. 1, art. 6, quæst. 4; Capr., quæst. 3, a. 3, ad 1, contra 1 concl.; Palud., quæst. 6, a. 3; Durand., quæst. 9, et aliorum quos infra referemus; et in hoc videntur convenire Hieronym., Augustin., Richard. de S. Victor, Bern., et alii qui materiam hanc disputarunt. Potestque ostendi primo, ex Evangelio, ubi sæpe legimus Christum servasse legem, tam in infantia quam in discursu vitæ usque ad mortem; paulo enim ante illam manducavit Pascha; et ita semper consuevisse facere ostendunt verba discipulorum, dicentium: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Matth. 26. Quamvis enim ipse non subiceretur legi, tamen quia lex ipsa vigeat, et mysteria ejus non erant completa, tum propter exemplum, tum propter mysterium, illam servare voluit, juxta id quod dixit Matth. 5: *Non veni solvere legem, sed adimplere*. Et ob eandem rationem illos docebat illam servare, Matth. 23: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisæi, etc.; quæcumque dixerint vobis, facite*; quia nimirum durabat legis virtus et potestas sa-